



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

De restitutionis origine, & vsurarum restitutione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96556)

except. in 6. Ioan. à Medina in tract. de restitutione. n. 3. causa 6. quibus non oberit text. in d. cap. intelleximus. quia loquitur in iudiciali exactione. text. autem in d. cap. iuratos. & in d. cap. vltim. de heret. tract. autem tantum de iuramento fidelitatis: à quo ecclesia absoluit subditos. propterea quod eorum princeps sit excommunicatus: vnde non erit idem dicendum in debito eris alieni, cuius solutio facillime creditori fieri potest absque vlla censura ecclesiastica laesione. idque maxime admittendum est. quandoquidem vsu forensi apud seculares iudices minime receptum sit. quod in d. cap. intelleximus. fuit statutum; vt nos obiter attigimus lib. 1. Variar. Resoluit. cap. 18. numer. 5.

SECUNDAE RELECTIONIS partis initium.

De restitutionis origine, & vsuris restituendis.

SUMMARIUM.

- 1 Quid sit restitutio: atque vnde procedat, quasque radices habeat.
- 2 Ablatum quis tenetur restituere, ratione acceptationis iniusta.
- 3 Vsurarius tenetur restituere ratione acceptationis iniustae: id est, proximo iniuri.
- 4 Vsurarius mentalis, an tenetur restituere quod ei datum fuerit à debitoribus?
- 5 Remissio libera vsurarum liberat omnino creditorem à restitutione, etiamsi non habeat animum restituendi.
- 6 Quo iure, humano ne, an diuino sit scienda pauperibus restitutio?
- 7 Humana restitutio non punit, nec punire potest actus interioris mentis.
- 8 Mentalis vsurarius quis sit, & quo pacto possit in foro exteriori cogi ad restitutionem?

Restitutio laesioni opponitur: nam & ea illud reddit, quod laesio abstulerat. I. quod si minor. §. restit. ff. de minorib. l. 1. c. si aduersarius, sed si per praeiorem. §. si seruis. ff. ex qui. cau. maior. Bar. in l. qui proprio. ff. de procur. ideo in hac materia, quam tractamus, restitutio est, illius rei additio, quae ablata est, secundum Tho. 2. 2. q. 62. art. 1. qui probat eam ad iustitiam commutativam pertinere. Etenim sicut acceptio rei alienae actus est iniustitiae circa commutationem, ita & restitutio, quae ei opponitur, erit actus iustitiae commutativae: cum per intelligentiam vnius contrariorum cognoscatur alterius intellectus, & percipiatur eius vis, auctore Arist. 1. Top. & 4. Ethic. c. 1. sic idem Arist. lib. 2. Rhet. ad Theodecten scribit, quod contrariorum eadem est disciplina, sed contraria vis: id est, eadem est ratio cognoscendi contraria. quod & Dynus adnotavit in reg. possess. de reg. iur. in 6. in commutativa autem iniustitia potissime attenditur damni per acceptationem illam compensatio per restitutionem, & aequalitatem, quemadmodum ex eod. Arist. constat. lib. 5. Ethic. damnum vero inferitur alicui variis modis, per occupationem inquam propriae rei, per eiusdem rei detentionem, atque item per impedimentum, ne quis assequatur, quod ei debitum est, in summa reducitur lesio his modis contingens ad alicuius boni privationem, cum is, qui detinet alienam rem, aut alteri debitam, eam videatur ab altero abstulisse, & eadem ratione, qui impedit, ne quis assequatur bonum aliquod, plane dicitur bonum hoc ab altero auferre.

Restitutio autem duas radices habet, à quibus omnino deducitur; ab acceptatione scilicet, aut re accepta. Ab acceptatione tunc procedit, quando quis ratione solius acceptationis tenetur alteri reddere quod suum est, aut ei debitum, vt in causis mutui, depositi, furti, rapinae, & similibus, in quibus adhuc obligatio restituendi regulariter datur, etiam si nec res mutuata, deposita, furto ablata penes accipientem sit, à re accepta tunc deducitur restitutio, quoties quis rem alienam, aut alteri debitam habet, & ea quidem amissa cessat restituendi obligatio, sicut diligenter tradidit Thom. & Caiet. 2. 2. q. 62. art. 6. & Dominicus à Soto lib. 4. de iustit. & iure. quest. 7. art. 2. de acceptatione licita hic minime agemus: ea etenim expedita est praesertim quod data mora restituendi id, quod debetur alteri ratione acceptationis licite, iam ea acceptio illicita sit ob contrariam alterius voluntatem: de illicita vero acceptatione regulam quandam constituere libet ad huius tractatus apertorem cognitionem.

REGULA DE ILLICITA acceptatione.

Tenetur quis restitutum restituere ratione acceptationis iniustae: siue ea sit iniusta in iniuriam proximi: siue quia lege prohibita. Prior pars regulae constat ex traditis per

diuum Tho. & Caieta 2. 2. q. 62. artic. 1. 2. & 6. & probatur quia iniusta acceptio, quae proximum laedit, virtutem iustitiae opponitur, acceptio peccatum est, sicuti ratione manifestata constat. Lesio autem aliter quam per ablatae restitutionem tolli nequit: igitur necessaria est ipsa restitutio, cum quis per acceptationem iniquam proximum laeserit. Posterior regula pars probatur in l. non dubium. C. de legi. in l. quemadmodum, C. de agris. & censu. lib. 1. & in capit. qui contra iura mercatorum, C. de regul. iur. in hac autem regula nomen acceptationis continet non tantum ablatum illud, cum quid à proximo ex proprio animo rebus auferitur: sed & damni illationem in eo, quod proximus habet, vel habere sperat, aut sibi debetur, quod proximate si damnum inferens nihil ex hoc utilitatis, aut commodi accipiat. Nam qui alteri damnum in hac specie de proculdubio auferre censetur ab altero id in quo cum laedit: auctore Thom. d. quest. 62. art. 2. & Caieta. art. 6. opt. text. in l. damnum. ff. de dam. infect.

Primum ab hac regula procedit ratio: quare vsurarius ad restitutionem eius, quod per vsuras extorsit, omnino tenetur. fuit etenim ea acceptio iniuriola proximo, & iniusta: atque ideo iure naturali, diuino & humano, prohibita, sicuti & nos adnotauimus lib. 3. Variar. Resoluit. capite primo, quia ratione immunis non erit à restitutione, etiam si quod extorsit perierit profusus, nihilque utilitatis ex eo habuerit, secundum Thom. d. artic. 9.

Ex hoc item deducitur examinatio text. singularis in consuetudine de vsur. quo decisum est, vsurarium, quem vulgare mentale appellat, teneri ad restitutionem eius, quod à debitoribus ultra sortem absque vlla pactioe tacita, vel expressa habuit. Ex ea namque decisione plerique adnotant, quod libera donatio debitoris, occasione mutui facta creditori, nihil profit ei habenti prauum animum, nempe recipiendi aliquid ultra sortem ab ipso debitoribus absque pactioe vlla dante: cum alioqui si hanc spem non haberet, minime foret mutuarum sortem. Hanc conclusionem tenent Innocent. Abb. Anan. & Doctores in d. cap. consuetudine de vsu. Iacob. Almain. in 4. d. 15. quest. 2. Ioann. Andr. in hac regula. peccatum. asseuerantes hoc, quod ita à creditore, hac sub spe receptum sit, omnino esse restituendum. Quibus praeter autoritatem text. in d. cap. consuetudine suffragatur id, quod Bartol. adnotauit in l. si de donatione scribens, non esse donationem veram, nec perfectam, etiam si donans sciat & existimet, nullam subesse danti causam, modo recipiens opinetur id, quod datur, sibi debitum esse, idem notat Paul. Castrensis. ibi & in l. abentis. ff. eadem tit. fit igitur, vt in hac specie, cum mentalis vsurarius recipiat quid ultra sortem mutui ratione: alioqui non mutuetur non sit libera donatio ipsius debitoris, etiam si is ab illo pacto, sciens nullam subesse danti causam, dederit verum huic rationi responderi potest, diuinitatem esse Bartol. casum ab eo, quem modo tractamus, siquidem mentalis vsurarius, cum recipit aliquid ultra sortem absque pacto certo, scit, sibi illud non deberi, & gratuito danti ea spe mutuum debitori dederit & quamvis in specie per Bart. definita non sit donatio, est tamen irrevocabilis danti, vnde is, qui dedit, donatum repetens, etiam re extante, submouebitur exceptione delicti. Paul. de Cast. in d. l. si tibi dederim per textum ibi. ff. de donationibus. glo. Bart. Angel. Alex. & Doctores in l. si ego. ff. si certum petar. etiam si contrarium in hoc responderit Bald. Odofred. Oldrad. Fulg. & Iason in d. l. si ego. aliter tunc, posse rem donatam adhuc extantem repeti. Nam opinio gl. magis communis est. Deinde maxime differunt hec duo, nam vsurarius cum repetit datum sibi ultra sortem, habet animum id acquirendi, & voluntatem recipiendi, & gratuito datum, at donarius hanc voluntatem, nec animum non habet, quippe qui recipiat id, quod sibi datur, vt vere debet. Sed & in vsurario mentali quem tractamus, quod is ad restitutionem tenetur, etiam tenuerunt Henricus in cap. in iustitate. col. vlt. de vsuris. glo. in cap. vltim. de simonia. & inibi Cardin. Anchar. in reg. peccati vena. quest. 1. colum. 6. de reg. iur. Laurentius Rodolphus in tract. de vsur. quest. 3. Cardin. in Clem. vlt. quest. 2. de vsuris. Alex. consil. 73. lib. 6. cui vero sit hac restitutio scienda, non admodum inter huius opinionis assertores conuenit, ex eis etenim quidam censent, restitutionem pauperibus faciendam esse, non ei, qui dederit, ita quidem visum est Raine in summa. tit. de vsur. versio. sed magis voluntas. Iacob. Almain. d. quest. 2. Caiet. 2. 2. quest. 78. artic. 1. & Guidon. Pape in tract. de contra. illicitis. ann. 15. Contrariam sententiam.